



## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Invste, Deo  
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 1. Ob quas caussas bonis honor sit exhibendus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

## C A P V T XII.

*Cur non solum bonos, sed etiam malos finat honorari Deus?*

### S. I.

*Ob quas causas bonis honor sit exhibendus?*

**H**onos honoribus afficiendos esse, omnes leges iubent, omnes historiæ clamant, ipsa ratio & natura suggerit. De legibus id constat ex dictis suprà. Diuinæ enim leges sunt: *Honora patrem tuum, & matrem tuam. Honora personam senis. Viduas honora, &c.* Historiæ pñne nullæ sunt, quæ non narrent, honores dignis decretos, aut collatos esse; aut accusent eos, à quibus illi bene meritis negati ablatiū fuerunt. Ratio autem atque natura dictat, ut verè, hoc est, id quod res est, iudicemus, bonamq; de bonis opinionem concipiamus; eisq; coram alijs testimonium impertiamur, quod est eos laudare, atq; honorare. Quod sanè facere, non tantùm veritatis amore, sed etiā virtutis jure obligamur; vsque adeò, ut qui tacet, vbi alter laudandus est, iniustus esse, alteriq; iniuriam facere censeatur. Quia in re multi grauiter delinquunt, & si lendo detrahunt de laude aliorum. Perinde

enim est, siue laudanda celest, siue celanda  
diuulges; & par malitia, siue vitia alterius  
prodantur, siue virtutes suppressantur,  
quando nulla, quæ excusat, causa subest,

S. August. siue in silentio, siue in manifestatione. Si  
Dominic. exempla querimus, ipse Deus illos honorat,  
1. in 40. & diligit, qui illicita fugiunt; aitque: Qui-  
serm. 1. cumque glorificauerit me, glorificabo eum. Et  
1. Reg. 2. de bene certantibus ait insignis ille heros:  
30. *Nullus in hoc numero mihi non donatum  
Æneid.* abibit.

*Nullus in hoc numero mihi non donatum  
abibit.*

## §. II.

*In deferendis honoribus ordinem esse ser-  
uandum.*

Illud solùm híc monendum est, ne ordi-  
nem honoris prætereamus, præsertim in re-  
bus, quæ sunt alicuius momenti. Ut enim,  
et si omnes in necessitate, qui volunt face-  
re, quod facit Ecclesia, baptizare possint,  
haud tamen decet laicum id officium face-  
re, si adest clericus; nec subdiaconum, si ad-  
est diaconus; neque diaconum, si adest sa-  
cerdos; ita in alijs quoque officijs ac digni-  
tatis demandandis, aut honoribus distri-  
buendis, semper attendendum est, ne indig-  
nior digniori præferatur. Væ illis, qui in  
gradibus, ac muneribus dandis iniuste iudi-  
cant,